



John Carter Brown.







Roberti Comtæi Nortmanni

DE ORIGINE GENTIUM AMERICANARUM

DISSERTATIO.



AMSTELODAMI,

Typis NICOLAI RAVESTEINII,
clↄ Iↄc XLIV.



DE ORIGINE GENTIUM AMERICANARUM DISSERTATIO,

Authore

Roberto Comtæo Nortmanno.



Rbis pars illa, quæ quibuſ-
dam quarta dicitur, & ab
Americo Veſpucio Ameri-
cæ nomen nacta, occiden-
talis Indiæ titulum etiam
reperit, longo ſæculorum tractu in-
cognita, ſaltem inviſa fuit, ob imma-
manem aquarum intercapedinem, qui-
bus ab orbe toto diviſa videtur: quo
factum eſt, ut prioribus advenis quaſi
novus orbis apparuerit; nec abs re certe,
cum Poſtellus (in hoc ipſo probatus a
Linſchoto nauclero Regionum illarum
callentiſſimo) a polo ad polum eam ex-
tendi ſcribat, exceptis partibus auſtra-
lioribus freti Magellanici, ubi deſinit cir-
ca gradum altitudinis 52 ex parte meri-
dionali lineæ æquinoctialis.

 Illuc

Illuc mente proficiſcimur ; examen habituri circa gentium illarum originem. Status quæſtionis eſt, quis populus ad occupandas illas terrarum plagas confluxerit ? unde egreſſus ? quà ingreſſus? quibus auſpiciis? quo tempore? indagandæ hac ſuper re veritati noviter allaborarunt Viri Clariſſimi, & perſpicaciſſimi, quorum opiniones & argumenta perpendere conſtitutum mihi ; at non carpere. Ingenuus enim oculus laudis hic argumenta ſparſim viderit, contumeliæ nuſquam. Paulo deteriora iis ſcripſiſſe vellem, & mihi decori verti. Neque enim puſillum eſt, ſi quid maximo eſt minus. Itaque veritati ſtudeo, & ſi quid ea dignum poſuerim, lætabor.

Hæc præfatus, priuſquam aperiam, quid mihi arrideat hac in re, occurrendum iis judicavi, qui quod Mexicani, eorumque vicini, Hiſpanis eo primum venientibus dixerint, ſe non eſſe indigenas ; hinc colligunt, omnino ex aliis mundi partibus populos in hanc terram bis aduentaſſe ; ita ut Hiſpani tertii

fuerint

ſuerint alienigenæ, qui regionem occupaverint. Verum ſecundam coloniam illam non ab extraneis ductam eſſe, ſed ipſiſmet Americanis in vicinos excurrentibus, quos in continente ſedem ulterius quærere poſt bella & ancipites aſſultus, coëgerunt, teſtantur plurimi: quorum unus ſufficerit mihi Joannes Hugo Linſchotus in deſcriptione novæ Hiſpaniæ Cap. 5. ubi ait. *Secunda pars Americæ vocatur nova Hiſpania, initium ſortita a Septemtrione circa flumen Panuco ad limites Floridæ, & meridiem verſus extenditur ad provinciam uſque Darienam, qua ab ipſa Perruviũ dividit, habens ad Orientem mare magnum, ad Occidentem autem mare Pacificum ſive Auſtrale. Tota hæc Regio ab incolis vocabatur antiquitus Chichimecan, Culhuacan ſeu Cajacan. Illi enim e Culhua exierant ſupra Xaliſcum, & ſedem fixerant circa Tenuchtitian, ubi hodie urbs extat Mexicana. Ubi autem regionis inquilini facti ſunt, ædificare cœperunt, novoſque ſimul & veteres pagos & urbes ſub domino & generali nomine Culhuacan concedere voluerunt.*

Hinc colligitur Culhuacas, Cajacas, ſeu Chichimecan non extrorſum emerſiſſe: ſed ex Culhua ejuſdem Americæ provincia ſupra Xaliſcum ſita. Nec eſt, quod nomen expulſorum in quæſtionem vocetur, quod quidem deletum eſſe abunde conjici poteſt, cum dicitur veterum novarumque manſionum nomen unum ſcilicet Culhuacan.

Arbitror autem Chichimecas cum cæteris Americæ populis, a Phœnicibus, ſeu Sidoniis, ſeu Tyriis, aut Carthaginenſibus (gens enim una fuit) procreatos eſſe; omneſque Occidentalis Indiæ regiones a Phœnicibus primum inventas, habitatas, nec non ab eorum poſteris poſſeſſas, uſque ad Hiſpanorum adventum; quod quidem ex monumentis veterum, authoritatibus, & conjecturis (quod hac in re cupit Vir Excellentiſſ. Hugo Grotius) eruere non difficile credo veterum ſcripta apprime ſapienti.

De ſitu Phœniciæ, Phœnicumque, Plinius Lib. 5. cap. 12. & 20. Scribit Phœnicen totam Syriam complecti, *qui*

ſub-

ſubtilius (inquit) *dividunt, circumfundi Syria Phœnicen volunt.* Strabo vero lib. 16. Geographiæ: *Tota regio ultra Seleucidem in Ægyptum & Arabiam recedens, Cœloſyria appellatur; ſed proprie quæ Libano terminatur, & Antilibano. Reliquæ Regionis ora ab Orthoſia uſque Peluſium Phœnicia vocatur, peranguſtus ſane ac maritimus quidam tractus.* Qui ſibi videntur contradicere, facile conciliabuntur ſummi judicii viri Strabo & Plinius: ſi Plinius de Phœnicia in genere, Strabo autem de Phœnicia proprie dicta intelligatur. Quemadmodum & Francia dicitur Galliæ regnum univerſum: appropriato autem nomine ſola regio Pariſiis circumfuſa. Quod & manifeſte denotat Strabo in ſequentibus dicens. *Iter in Phœniciam deflectamus, de cujus una parte locuti ſumus, quæ ab Orthoſia Barutum uſque pertendit* &c. *poſt Berytum eſt Sidon quadringentis fere ſtadiis ab ea diſtans; in quo ſpatio eſt Tamyras flumen, & Æſculapii Lucus, & Leonum urbs. Poſt Sidonem maxima & antiquiſſima Phœnicum eſt Tyrus &c.* Straboni

concordant Mela lib. 1. c. 12. & Herodotus lib. 1. 2. & potiſſimum 7. ubi ait. *Phœnices, ut ipſi memorant, quondã mare rubrum accolebant, illinc tranſgreſſi maritima Syriæ habitant.* Dionyſius autem Alexandrinus:

Pars media nã ſede colit, Syriiq; vocantur.
Pars maris ad fluctus Phœnicum nomine dicti,
Gentis Erythrææ ſoboles a ſemine dicta &c.

Accinit Feſtus Avienus:

—— Salſo quidquid pulſatur ab æſtu,
Phœnicum regio eſt. Hi rubro a gurgite quondam
Mutavere domus &c.

Cæteros prætermitto. Reſtat ut a Strabone doceamur, quinam populi ſub nomine Phœnicum continerentur antiquitus. Primos enumerat Sidonios, deinde Tyrios, Ptolemaida, Gadarenos, Azotios, Aſcalonitas, Gazæos, Raphios, Rhinocoluros, Joppen, Jamnios, Alaniticos, Sarbonis lacus incolas, montis Caſii, Gerræ, & Chabriæ. *Ac Phœnicia quidem eſt hujuſmodi,* concludit ipſe: hos autem in univerſum eximios & audaces fuiſſe navigatores,

tores, fidem faciunt authores innumeri, etiam ex his quos citavimus. Quos inter Dionysius Alexandrinus, ubi supra:

——— *a semine ducto,*
Hi primi rudibus tentarunt navibus æquor,
Mercatumq; vagas primi instituere per undas
Concitaque æterno viderunt sydera cursú.
Quique Iopem, Gazamque colunt, & Elaidis arces,
Antiquamque Tyron &c.

Avienus vero:

——— *Hi primo a gurgite quondam*
Mutavere domus, primiq; per æquora vecti
Lustravere salum, primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia, sydera primi
Servavere poli &c.

Strabo lib. 16. ubi de Tyro ab Alexandro capta egit, subdit. *Has tamen calamitates omnes evicit, & seipsam navigando instauravit. Nam in ea re Phœnices semper omnibus præstitere &c. Navalis potentiæ, & apparatus signum est multitudo & magnitudo coloniarum.* Et postea: *Sidonii optimi circa Astronomiam & Arithmeticam Philosophi, qui a computatione, & nocturna na-*

vigatione initium habuere. Sed quam eximia, & apposita hic est oratio Alexandri ad commilitones habita apud Arrianum Lib.2. *Quod si Tyrum ceperimus* (ajebat suis Imperator insignis) *universa Phœnicia in potestate nostra erit, navalisque Phœnicum potentia, quâ maximâ & validissimâ Persæ utuntur (id quod verisimile est) ad nos tota transferetur; neque enim Phœnices populares suos, sive navales socios sive remiges, urbibus suis in potestatem nostram redactis, pro Persis pugnare patientur.* Audiamus Herodotum lib.1. de expeditione in Carthaginenses, quam Cambyses meditabatur. *Interea navales copias Carthaginem versus navigare jubet, verum executores se Phœnices negaverunt: esse enim magno se cum illis jurejurando devinctos, præterea non facturos sancte si adversus liberos suos militarent. Cæteri Phœnicibus ire recusantibus ad pugnandum haud idonei erant: ita Carthaginenses quominus in servitutem Persarum redigerentur evaserunt, quoniam Cambyses haud æquum ducebat vim inferre Phœnicibus, qui seipsos Persis dedi-*

derant,

derant, ex quibus nauticas omnis constabat excercitus. Qui plura voluerit, adeat Homerum Odyss. 14. & 15. Strabonem lib. 1. & 17. Plinium lib. 3. cap. 12. lib. 5. cap. 12. Melam lib. 1. cap. 6. Herodotum lib. 3. Hesychium &c.

Phœnices autem non solum mercaturam & bella navalia exercuisse constat; sed & maximas longinquasque colonias fecisse. Strabo lib. 16. *Coloniæ in Iberiam, & Lybiam, usque ad loca extra columnas profectæ Tyrum plurimum extollunt.* Et paulo post. *Navalis potentiæ, & apparatus signum est multitudo, & magnitudo coloniarum.* Plinius lib. 5. cap. 19. *Tyrus quondam Insula* &c. *Olim partu clara urbibus genitis Lepti, Vtica, & illa Romani imperii æmula terrarum orbis avida Carthagine &c.* Salustius in Jugurtha. *Phœnices multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine, & alii novarum rerum avidi, Hipponem, Adrumetum, Leptim, aliasque urbes in ora maritima condidere, hæque brevi multum auctæ, pars originibus sine præsidio, aliæ decori fuere &c.* Sed audiamus

mus Q. Curtium: ubi Tyri obſidionem, deditionemque deſcripſit. *Quocunque* (inquit) *claſſes ejus adierunt, ditionis ſuæ fecit* &c. *Coloniæ certe ejus pæne orbe toto diffuſæ ſunt, Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad oceanum.* Premamus verba. Gades a Phœnicibus occupatas legimus. Agedum. Quod fortunatas inſulas tenuerint, nulli dubium erit, qui Marianam legerit lib. 1. & 2. hiſtor. Hiſpan. cum authoribus, quorum citationibus utitur, ad quos Lectorem remitto. Deinde Phœnices ad inſulas Heſperides penetraverunt. Quod teſtatur Strabo extremo lib. 3. *Caſſiterides*, inquit, *Inſulæ decem numero ſunt inter ſe propinquæ ad Aquilonem jacentes &c. Earum una deſerta eſt, reliquas habent homines colore fuſco &c. hanc negotiandi viam ſoli antea Phœnices é Gadibus miſſi aggrediebantur &c.* Verum per Caſſiterides Strabonem intelligere Heſperidas, & Gorgadas, & Cap. viride, hinc liquido patet, quod eſſe decem numero ſcribat. Sed & hoc denotat nomen ipſum his Inſulis proprium, de quo Dionyſius

nyſius Alexandrinus Verſ. 564.

Νήσους δ' Ἑσπερίδας, τόθι κασσιτέροιο γενέθλη.

Quod Andreas Papius interpretatur.

— *Et Heſperidum ſtanni felicis origo.*

Ulterius autem Phœnices aut Carthaginenſes ad Indos occiduos contendiſſe, colligo ex teſtimoniis ſcriptorum veterum, a quibus nemo requirat accuratam & exactam deſcriptionem regionum illarum; de quibus locuti ſunt quidem, ſed eas exiſtere non crediderunt. Cæterum ubi mutila illa lineamenta apud eos diſperſa rite compoſuerimus, fortaſſe Occidentalis Indiæ facies non rejicienda, ut etiamnum hodie depingitur, apparebit. Plinius multifariam de Gadibus proprie dictis diſerte locutus ſcribit lib. 5. cap. 19. Phœnices extra orbem Gades condidiſſe. Intelligo enim Americam noſtram tunc temporis proprium nomen nobis cognitum non habentem; in tantum ad occidentalem plagam ſitam, ut vel extra orbem poſita videretur, ab Occidentaliſſima, ut ita dicam,

dicam, parte quam noverat Gades appellaſſe. Sin malueris, eodem ſenſu, quo nova Francia, Hiſpania, Batavia in orbe novo diſcribuntur, ob Francorum, Hiſpanorum, Batavorum illuc deductas diductaſque Colonias. Accedunt verba Curtii. *Credo eos* (Phoenices) *libero commeantes mari, ſæpiuſque adeundo, cæteris incognitas terras elegiſſe.* Quænam fuere terræ illæ? Gades? Fortunatæ? Gorgades aut Heſperides Inſulæ? Sed hæ Trojanis, Græciſque mercatoribus tum temporis non fuerunt incognitæ, eorum quidem diſpendio (nam a Phœnicibus reperti ſubmergebantur) nec authoribus qui tum ſcribebant, ut Homerus. Reſtat certe, ut de novo orbe veriſimiliter intelligamus. nam verba transferri alió non permittunt probatiſſimæ per has plagas Phœnicum claſſes inſtitutæ. Huic interpretationi non alienus eſt Strabo lib. 17. ubi ait: *Solitos Carthaginienſes demergere peregrinos, qui in Sardiniam, vel Herculis columnas, navigarent.* Veriti credo ne libero commeantes mari, ſæpiuſque

piusque adeundo, eam quam ipsi ad occiduum orbem casu aut arte viam nanscis cerentur. *Et propterea,* subjicit Strabo, *plurima occidentalium non creduntur.* Non credebatur scilicet in occidentalibus extra oceanum & mundum incognitas cæteris terras elegisse; quod etiam de seipso ingenue fassus est. Strabo lib. 1. Qui mentione de quibusdam habita, qui fide neutiquam digna proferrent. *Similes illis sunt,* inquit, *qui Sidonios in mari Persico, aut alibi ad oceanum ferunt, & Menelai Phœnicumque errores extra oceanum ponunt.* Non credit vir bonus, Phœnices extra oceanum errasse, quos centies scripsit in Oceano Atlantico plures insulas invenisse, occupasse, habitasse. Ergo jam tum rumor erat, quod Phœnices extra Oceanum errassent. At de erroribus illorum sic cecinit Fest. Avienus.

Tartessiisque in terminis Oestrumnidum
Negotiandi mos erat Carthaginis
Etiam colonis, vulgus inter Herculis
Habitans columnas hæc adibant æquora,

Quæ

Quæ Himilco Pœnus mensibus vix quatuor,
Vt ipsemet rem comprobasse retulit,
Enavigantem posse transmitti asserit.

Quæro, cuinam navigationi in Occidentem e columnis Herculis debeantur menses quatuor, præcipue cum ventus orientalis fere semper flet a partibus illis? ego nullam aliam interpretor insulam aut continentem, quam novum Indorum orbem, cujus iter hodie tritum uno mense plus minus conficitur; tum vero temporis incognitum, absque magnetis & quadrantis usu, vix quatuor mensibus. Scylax Caryandensis in Periplo quiddam, intricatum licet, super his subodorari visus est; verum sermonem ejus utpote locupletem hic mitto. Dicit inibi, neutiquam esse navigabilia, quæ ultra Cernem Insulam essent: in quo (ut notatum est magni ingenii juveni, Isaaco Vossio) comunionem Geographorum morem imitatus est: quos cum ordo rerum vocasset ad regiones explicandas, quas ipsi non noverant, eas scripserunt æstu aut frigore exustas, alga

coeno-

cœnoque plenas & similibus, at desertis his in regionibus institores ait esse Phoenices.

Hanc verò regionem juxta Lybiam collocat. Lybiæ autem nomen appellativum apud Geographos sæpenumero legitur, ut arida, exusta, & arenosa plaga significetur. Sed de hac regione similiter Diodorus Siculus lib. 6. cap. 7. *Est*, inquit, *Lybiam versus ad Oceanum sita plurium dierum navigatione Insula permagna, agro fertili, tum campis amænis, tum montibus distincta, fluminibus rigatur, quæ sunt navium capacia &c. priscis temporibus quoniam a reliquo orbe divulsa videtur, incognita, hoc postmodum modo reperta est &c. Phœnices per Oceanum mare juxta Lybiam navigantes, plures dies tempestatibus acti cum ad hanc Insulam delati essent, animadversa ejus natura & felicitate notam cæteris fecere.* Hic duo notanda potissimum occurrunt. primùm eâdem penitus ratione à Phœnicibus, & Hispanis, repertam esse Indiam Occidentalem. Utrique enim impegerunt in plagam illam tempestati-

bus acti. De Phœnicibus visum est. De Hispanis, præter cæteros, audiendus Mariana de Reb. Hisp. lib. 26, ubi navigationis illius primordia tangit. *Navis quædam*, inquit, *in Africæ commercio occupata, ventorum violentiâ abrepta, ad ignotas terras, & littora appulit in reditu. Vectoribus, & nautis, famæ extinctis, Navarchus cum tribus, aut quatuor Sociis, Maderam Insulam, quæ in ditione Lusitanorum erat, tandem tenuit, mortuo, quam spiranti, similior. Agebat fortè in ea Insula Christophorus Columbus, natione Ligur (nam & uxorem in Lusitania duxerat) ingentis animi vir, singulari industriâ; quod erat præcipuum, rei nauticæ imprimis peritus. Excepit is hospitio Navarchum; qui, longinquæ navigationis laboribus fracto corpore, brevi extinctus, commentaria, quæ de tota uavigatione confecerat, Columbo reliquit.* &c. Idem perhibent Iosephus à Costa lib. 1. cap. 19. & Incalasse de la Vlega *in suos commentarios reales* lib. 1. cap. 3. Verum Navarchus ille ubique Anonymus est. Aldrete autem in popularibus Hispaniarum

rum historiis nomen ipsi restituit dicens: *Siendo certo que el primero que dio noticia a Christoval Colon del nuevo mundo fue Alfonso Sanchiez de Huelva marivero natural desta villa de Huelva, que con gran tormenta passo el Oceano* &c. Rem autem facillimo negotio fieri potuisse, aperte convincitur. Nam ex Hispania in Americam navigari potest intra quatuor hebdomadas; ab Insulis Hesperidibus intra duas; cum tamen ad reditum in Hispaniam vix tres menses sufficiant, in Hesperides nec unus cum diebus duodecim: quod quidem procedit à constantia venti Orientalis inter eundum; ut ex nautis referentibus notavit vir inter doctos clarissimi nominis Gerardus Ioannes Vossius de cultu & progressu Idololatriæ lib.2.cap.69.

Sed ad rem nos recipientes, videamus, quo sub nomine de Indis occiduis veteres Geographi locuti sint. Simili nempe ratione, ac à Strabone Cassiterides dictæ sunt Insulæ Hesperides, à Plinio Indiæ occidentales Hesperides vo-

cantur lib. 6. cap. 31. ubi ait: *ultra has Gorgadas* &c. *duæ Hesperides Insulæ narrantur* &c. *ut Statius Sebosus à Gorgadum insulis prænavigatione Atlantis, dierum quadraginta ad Hesperidum Insulas cursum prodiderit.* Cùm enim Gorgades, seu Gorgones Insulæ, & Hesperides propriè dictæ, eædem sint; ut testatur Strabo lib. 7. & communiter in tabulis describitur: certe de novo orbe occidentali Plinium locutum arbitror eo sensu, quo superiùs ipsum nominavit Gades extra mundum positas. Nec ullus me rerum nomina confundere cavillabitnr, qui doctissimum Casaubonum legerit in Strabonem lib. 17. frequentissimè dicentem, *nullam certam analogiam esse veteres secutos in efferendis barbaris nominibus provinciarum.* Ratio est, quia cum incerta adhuc exploratio earum esset, communem appellationem nondum invenerant; quod de occidentalibus regionibus tradit Polybius lib. 3.

Sed & Dionysius in Argonauticis, & Diodorus lib. 4. cap. 4, testantur expresse,

ſe, Heſperas eſſe vocatas, quæ ad occaſum Inſulæ vergerent. *Aſſerunt*, ait iſte, *Amazones habitare Inſulam, Heſperam, quia ad occaſum ſita ſit, vocitatam.* Atque huc fortaſſe pertinuit fabula de Hercule (ſummo Phœnicum Deo, Strabone teſte lib. 16.) Heſperidum poma aurea, aut oves, capiente in Atlante monte; quod quidem clarius eluceſcet, cui legere vacabit Plinium lib. 5. cap. 5, & alibi, Solinum cap. 37, Apollodorum lib. 2, Palæphatum lib. 1, Heſiodum in Theogonia, Euripidem in Hippolyt. Coron. & in Herc. Fur. Sophoclem in Trachin. Apollonium in Argonaut. Lucretium initio lib. 5, Virgilium Æneid. lib. 4, Lucanum lib. 9, Senecam in Agamemnone, & in Herc. Fur. Varronem lib. 1. de re ruſtica cap. 1, Diodorum lib. 5. cap. 2, Hyginum lib. 2. Poet. Aſtron. Aratum in Phænomenis. Ii enim præ ſexcentis, qui de fabula mentionem fecerunt, accommodatè loquuntur ad inſtitutum noſtrum.

Atlantis enim nomine repertam

Phœnicibus occidentalem Indiam adumbraverunt. Montem enim esse dixit Ovidius 4. Metamorph. adeò celsum, ut cacumen ejus cerni non possit, addidit Herodotus lib.4: diis solis pervium esse, scripsit Solinus cap. 3: atque hoc ob varias, easque insignes ad terras illas enavigandi difficultates. Atlantem autem illum cœlum humeris sustentare, dixerunt, ut occidentalium regionum penitissimam designarent. Sed quàm graphicè describit Plinius in illo monte Americam lib. 5. cap. 1. *Per quam* (Autololum gentem) *iter est ad montem Africæ vel fabulosissimum Atlantem. E mediis hunc arenis in cœlum attolli prodiderunt, asperum, squallentem, quà vergat ad littora Oceani, cui cognomen imposuit: eundem opacum, nemorosumque, & scatebris fontium riguum, quà spectat Africam: fructibus omnium generum ita sponte subnascentibus, ut numquam satietas voluptatibus desit. Incolarum neminem interdiu cerni, silere omnia haud alio, quàm solitudinum horrore: subire tacitam religionem animos propiùs accedentium,*

tium, præterque horrorem elati ſuper nubila, atque in viciniam Lunaris circuli: itidemque noctu micare crebris ignibus; Ægipanum, Satyrorumque laſciviâ impleri tibiarum ac fiſtulæ cantu, tympanorumq; & cymbalorum ſonitu ſtrepere: ſpatium ad eum immenſum, incertumque &c. quæ longo ordine ſequuntur, ubi de Cottonæis arboribus, de ſimplicibus variis, &c. quæ omnia cum relationibus Indorum occidentalium conferentur appoſitè. Neque hic Plinius de Atlante propriè dicto loquitur; quem aliique Geographi omnes agnoverunt: cum hunc (quippe tum temporis occidentales Indiæ non credebantur exiſtere) dubius indicet, & involucro fabularum, immenſoque rerum horribilium odio, diffamatum. Hinc eſt, quod de Juba, aut Suetonio Paulino conſule, qui iſthæc, quaſi prodigia, narrarent; ſtatim ſubjungat; *falſæ rei gravis author accedat.* Et Pomponius Mela lib. 1. cap. 3. *Vltimos*, inquit, *ad occaſum Atlantas audimus; infra, ſi credere libet, vix jam homines, magiſque ſemiferi Ægipanes,*

& Blemmeæ & Gamphasantes & Satyri, sine tectis passim ac sedibus, vagi; habent potius terras, quàm habitant. Atque iterum lib. 3. cap. 10. *Ultra hunc sinum mons altus, ut Græci vocant, θεῶν ὄχημα, vehiculum deorum, perpetuis ignibus flagrat: ultra montem viret collis, longo tractu, longis littoribus obductus; unde visuntur patentes magis campi, quàm ut prospici possint, Panum, Satyrorumque: hinc opinio ea fidem cœpit, quòd cùm in his nihil culti sit, nulla habitantium sedes, nulla vestigia, solitudo in diem vasta, & silentium vastius. Nocte crebri ignes micant, & veluti castra latè jacentia ostenduntur, crepant cymbala, & tympana, audiunturque tibiæ majus humanis;* Nec poetis incognita fuit hujusmodi sedes. Lucretius enim lib. 4. de ea sic cecinit:

Hæc loca capripedes Satyros, Nymphasque tenere,
Finitimi fingunt, & Faunos esse loquuntur:
Quorum noctivago strepitu, ludoque jocanti
Affirmant vulgò taciturna silentia rumpi,
Chordarumque sonos fieri, dulcesq; querelas,
Tibiæ

Tibia quas fundit digitis pulsata canentum. &c.

Arbitror autem, Phœnices ista omnia confinxisse ad infamiam regioni creandam, & ipsius adeundæ desiderium in animis exstirpandum. Sed levis haud quaquam momenti est frequens illa mentio de fistulis, & tibiis, quas quidem Phœnices adinvevisse doctorem nullus ignorat. Gingræ apud eos dicebantur; ut testatur Julius Pollux lib. 4. cap. 10, ubi ait: *Est quædam tibia Gingras, lugubrem, & flebilem vocem fundens, Phœnissa quidem juxta inventionem.* Quam autem vetus sit ejusmodi instrumentum, ex eo colligi possit, quòd Athenæus de illo mentionem faciens lib. 4. citat Xenophontem, Antiphanem, Menandrum, Amphim Axionicum, & Democlidem. Videris etiam Festum, & Ios. Scaligerum in ipsum, Iul. Scaligerum lib. 1. de Re Poet. cap. 20. Dalechampium in Athenæum, Manutium, Lil. Gyraldum syntagm. 13, imò Aristotelem, Hesychium, Arnobium &c. His ista relinquo,

quibus abundantius otium ſuppetit. Rei enim pede preſſo inſiſtere meum eſt. Quo pacto ab his temporibus ad noſtra uſque interceptum fuerit commercium, imò & regionum illarum cognitio abolita; docemur ex Ariſtotele, ſeu alio lib. περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, ubi ſic diſſerit: ἐν τῇ θαλάσσῃ τῇ ἔξω Ἡρακλείων στηλῶν, φασὶν ὑπὸ Καρχηδόνων νῆσον εὑρεθῆναι ἐρήμην, ἔχουσαν ὕλην τε παντοδαπὴν, καὶ ποταμοὺς πλωτοὺς, καὶ τοῖς λοιποῖς καρποῖς θαυμαστὴν, ἀπέχουσαν ἢ πλειόνων ἡμερῶν. ἐν ᾗ ἐπιμισγομένων τῶν Καρχηδονίων πλεονάκις, διὰ τὴν εὐδαιμονίαν. ἐνίων γε μὴν καὶ οἰκούντων, τοὺς προεστῶτας τῶν Καρχηδονίων ἀπείπασθαι θανάτῳ ζημιοῦν, τοὺς εἰς αὐτὴν πλευσομένους, καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας πάντας ἀφανίσαι, ἵνα μὴ διαγγέλλωσι μηδὲ πλῆθος συστραφὲν ἐπ' αὐτῶν ἐπὶ τὴν νῆσον κυρείας τύχῃ, καὶ τὴν τῶν Καρχηδονίων εὐδαιμονίαν ἀφέληται. *Extra columnas Herculis, ajunt, in mari à Carthaginenſibus Inſulam fertilem deſertamque fuiſse inventam; ut quæ tam ſylvarum copiâ, quàm fluminibus navigationi idoneis, abundet, cum reliquis fructibus floreat vehementer, diſtans*

à conti-

à continente plurium dierum navigatione; in qua cum Carthaginenſes quidam ob ſoli fertilitatem connubia agitare, ac habitare cœpiſſent, ferunt Suffetes, ne quis deinceps in Inſulam ingrederetur, pœnâ capitis interdixiſſe, incolaſque ejeciſſe, ne coitione, ſi habitare iſtic pergerent, factâ, inſulæ principatum conſequerentur, Carthaginenſeſque eâ felicitatis parte privarent. Ariſtoteli concordatum eſt ab Heſiodo ἐν ἔργ. ϗ ἡμ. extremo, Platone in Timæo, & in Critia, Cicerone, Plutarcho in Solone, Aulo Gellio lib. 12. cap. 13. Nonio Marcello c. de num. & caſib. & aliis.

Evenit hinc etiam, quòd tam rara ſit mentio apud veteres de his regionibus. Nihilominus Theopompus, & ex eo Ælianus Lib. 3. Var. Hiſtor. cap. 18. *Continentem unam extra hunc mundum exiſtere, & magnitudinem ejus infinitam, & immenſam eſſe, narrabant.* Plutarchus autem lib. de facie in orbe Lunæ, ſcripſit, ultra Inſulas Atlanticas reperiri μεγάλην ἤπειρον, *magnam continentem.* Hieronymus Tom. 6. in caput 2. Epiſt. ad

ad Ephes. *Utrumnam*, inquit, *& aliud sæculum sit, quod non pertinent ad mundum istum, sed ad mundos alios, de quibus Clemens in Epistola sua scribit: Oceanus, & mundi trans ipsum sint; an mundus iste unus sit?* &c. Omitto Homerum Odyss. Δ, & Horatium Epod. Oda 16. quin imo & Senecam in Medea vers. 374: quem quasi prophetam reverentur Hispani. Unde conjicere liceat, veteres non omnimode regiones illas ignorâsse.

Urgeo cætera. Quod narrant plerique de gentibus Americanis, quos dæmonia divexant, luduntque, jam pridem de his sub nomine Atlanticorum dictum est ab Herodoto, teste Tertulliano de anima cap. 49: *Sed quod Lybica gens Atlantes cœco somno noctem transigere, animæ utique natura taxatur. Porro aut Herodoto fama mentita est, nonnunquam in Barbaros calumniosa; aut magna vis ejusmodi dæmonum in illo climate dominatur, &c.* Liquet hinc, quomodo contagione simili laborent Americani hodie, ac olim.

Sed

Sed & magiæ,ac incantationum uſus, his temporibus viget apud eos, ut antiquitus apud Phœnices: de quibus Dio Caſſius lib. 60, & Virgilius, apud quem Dido ſic ſorori loquitur:

Oceani finem juxta, ſolemq; cadentem &c.

Silius autem Italicus lib. 1:

Annibal agminibus paſſim furit, & quatit enſem,
Cantato nuper ſenior quem fecerat igni
Littore ab Heſperidum Rhemiſus, qui carmine pollens
Fidebat magnâ ferrum crudeſcere linguâ.

Solum vertere, caſas habitare patentes, & verſatiles, Americanorum eſt hodie; & Phœnicum olim mos fuit. Feſtus: *Mapalia caſæ Pœnicæ appellantur; in quibus quia nil eſt ſecreti, ſolet id vocabulum ſolutè viventibus objici.* Alios prætermitto in re clariſſima.

Americani navigantes Idolis ſuis accinguntur, atque ipſa collocant in lintribus: factitatum verò id Phœnicibus tradunt præ cæteris Herodotus his verbis. *Statua Vulcani ſimillima eſt Phœniciis*

ciis Παταικοῖσι, *quos in triremium proris Phœnices circumferunt*, &c. Hesychius verò: Παταῖκοι θεοὶ Φοίνικες, οὓς ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. *Patæci Dei Phœnices sunt, quos hi constituunt in puppibus navium.*

Americani solem adorant; quem cultum, à majoribus sive Phœnicibus accepisse, verisimile est: de quo vir summus Gerardus Iohannes Vossius testis longè me melior habebitur de Origine & progressu Idolol. lib.2. cap. 4. Ipsum si lector adeat, legatque, ad pallorem usque nusquam non exquisitissima predíscet.

Phœnices autem hostias humanas, (quemadmodũ postea Americani) immolâsse constat, ex Porphyrio de abstinent. Animal. lib.2. Φοίνικες ἐν μεγάλαις συμφοραῖς, ἢ πολέμων, ἢ αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν, ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίσαντες Κρόνῳ. *Phœnices magnis in cladibus, vel bellorum, vel æstus, vel pestilentiæ, sacrificabant charissimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc suffragiis addictum.* Subjungit autem plenam ejus rei esse exemplis Phœnicum histo-

hiſtoriam, à Sanchuniathone conſcriptam; è lingua verò Phœnicia Græcè redditam à Philone Biblienſi. Similiter Euſebius oratione in laudem Conſtantini Cæſaris, Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες, καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων. *Phœnices Saturno quotannis ſacrificabant dilectiſſimos, & filios unicos.* Hæc de verbo ad verbum notata clariſſimo Gerardo Iohanni Voſſio: qui ibidem per Saturnum Solem intelligi, pluribus comprobavit.

Conſiderem certè, me longam ducturum ſeriem verborum Phœniciorum, & Mexicanorum, ſi eorum idioma ab antiquis temporibus hactenus conſtaret integrum. Interea omnimodo non deſit mihi & hinc argumentum; quando ſtudium & labor fuit authoribus diverſis, verba illa expiſcari, quæ & Phœnicia, ſeu Punica, & Mexicana, pariter fuerint.

Feſtus Avienus, ſermonem habens de Abyla monte Africæ. *Namque Abila* (inquit) *vocant Gens Punicorum, mons quod altus*

altus Barbaro est. Longo quidem, sed proximi intervallo Mexicani ajunt *Anthla*, Hochelagenses *Agacha*, Maraschæwachæi *Athbyla*, ut refert Alexius Laudensis Minorita in relatione Missionis suæ posterioris ad Indias occidentales; quò, quia Idiotismum quoquomodo novit, & dictionariolum ejus confecit, utar libentissime.

Asur Phœnicibus crater, inquit Etymologus Maraschæwachæis *Asur* quid concavum Alexius.

Est apud Sagadahocas herba rutæ similis, quæ vocatur *Besasa*: cujus radicem ipse vidi, olfeci, gustavi. Apuleio autem multisque perhibitum est, rutam hortensem à Tyriis *Besasa* dictam, eamque Laguna scripsit Arabicè nominari *Sadeb*.

Sanguinem plurimis vocibus significant Mexicani, quas inter est *Holedonch*, ut notat Alexius. Verum Phœnicibus *sanguis* dicebatur *Edom*, vel ipso teste Augustino sub fine Psal. 136.

Jaos accolæ acervare, accumulare, dicunt

dicunt *Gadonguene*: *gadon* autem Phœni-
cibus acervus erat.unde etymologus ait,
ut Claudius Iulius in Phœnices in hiſtoriis
aſſerit, *Archelaus*, *Phœnices filius*, *urbem*
condens, (ſcilicet Gadeiram) *ex Phœnicum*
lingua & nomen impoſuit. Gadon quippe ab
ipſis Phœnicibus ex minutis coagmentatum
dicitur. Syriacè quidem גדישא ghediſſa,
eſt cumulus meſſium in area.

Anech Punicè ſignificare *Matrem*,
plurimi ſcripſere;quàm Hurones dicunt
Anan, Mexicani *Nanthli*, Souniqueſii
Nekich.

Iaos incolæ *hellotii* virginem, aut
puellam, dicunt. Etymologus verò
Phœnices, inquit, *virginem hellotiam*
vocant.

Syri, Phœnices, Pœni, aquas voca-
verunt *heni*, & *jam*; teſte Hieronymo
in Geneſ.& aliis commentationibus ſu-
per illo Geneſ. *Ipſe eſt Ana, qui jnvenit*
aquas calidas ימם *Iamim in ſolitudine*.
Verùm Hochelagenſes aquam dicunt
Ame, & *Iame*.

Iſta ſufficiant: neque enim multò
C plura

plura Phœnicia vocabula inpræſentiarum occurrunt. Sed, quod ingenuê fatear, non irrefragabile argumentum eſt in verbis hiſce ſynonymis, cum Horatius ferme nihil verius ſcripſerit, quàm quòd

——— *Verborum vetus interit ætas.*

Itaque cùm in illis haud grave adeo momentum videam; ad alia, utique ſolidiora, me convertam.

Noë non per imprecationem mali, ſed propheticam prædictionem eorum, quæ eventura erant, poſteritati ſuæ (ut notavit Theodoretus) maledixit Chanaan, filio Cham ſecundo-geniti ſui dicens: ארור כנען עבד עברים יהיה לאחיו

Maledictus Chanaan ſit ſervus ſervorum fratrum ſuorum. Eruditis autem propono, num hoc completum dici queat, cùm Americam Phœnicum, filiorum Chanaan, poſteri, in nova hac regionum ſuarum adjnventione ſervi facti ſunt Hiſpanorum, olim utique ſervorum Phœnicum, qui Americano-

rum

rum fratres fuere. Demonſtratum hoc
erit, ubi tria probaverimus. Phœnices
eſſe Chanaani poſteros. 2. Phœnices
Hiſpanias ſubegiſſe. 3. Americanos,
quos Phœnicum liberos eſſe jam
oſtendimus, ab Hiſpanis in ſervitutem
miſſos gemere.

Præmitto, omnes ad unum uſque
commentatores agnoſcere, non ad per-
ſonam Chanaan, ſed filiorum ejus, verbi
illius complementum deſtinari: quod
& teſtantur ſacræ paginæ: ac niſi otium
nunc deforet, luculentiſſimis demon-
ſtrationibus comprobarem.

Phœnices autem ex ſtirpe Chanaan
eſſe, arguitur contra doctos non paucos;
imo ex primogenito Chanaan Sidone,
Geneſ. 10. 15. *Chanaan genuit Sidonem
primogenitum ſuum.* In quem locum
Hieronymus: *De Chanaan primus natus
eſt Sidon, à quo urbs in Phœnice Sidon vo-
catur.* Verùm ex hac urbe gentem
Phœnicum emerſiſſe, ſatis multis
probavit Nic. Serrarius in cap. 2. Ioſue,
quæſti. 6.

Insuper Phœnices passim vocantur Tyrii apud auctores. Tyrum autem Sidonis filiam increpat Esaias. 23. 12. Vide Hieronymum ibi. Unde Iosue 2. 19. Sidon magna dicitur: quippe quæ tot populos, tot colonias, tot florentissimas urbes peperisset. Consulendus Strabo lib. 16, & Nonnus Panopolita lib. 40. Dionysiacôn à vers. 305. Arrianus lib. 2. *Si Tyrum ceperimus, universa Phœnicia in potestate nostra erit*, &c. Pererius in Gen. 10: 15. *Vniversa Phœnicum ora Sidoniorum nomine celebris erat.* Quid plura in re apertissima? viderint omnes Strabonem, & Plinium crebro, Homerum Odyss. 14, & 15, Athenæum lib. 3. cap. 7, Ammianum lib. 14, Polybium lib. 5, Melam lib. 1. cap. 12, Herodotum lib. 1. 2. 7, Dionysium Alexandrinum, Avienum, & alios. Sed & Phœnices antiquiori nomine Sidonii dicti sunt. In veteri testamento sic semper appellantur. φοίνικες enim Græcum vocabulum nondum innotuerat. Fuisse autem Sidonios inter Chananæos, Scriptura habet

Genes.

Geneſ. 10. 19: *Et fuit terminus Chananæorum à Sidone, donec venias in Geraram uſque Gazam, donec ingrediaris Sidoniam.* Ibi loci videantur Joſephus, & Hieronymus. Nomen autem Chananæorum appellativum erat, & promiſcuum gentibus à Chanaano profectis; ut docet Arias Montanus lib. Chanaan cap. 9. Sidoni autem, Chanaani primogenito, & incolis Sidoniæ civitatis, ab eo vel ejus poſteris exſtructæ, & nomen nactæ, rectiſſime præ cæteris nomen Chananæorum competit. Ma. 7: 28. פוניקי דסוריא. *Phuniki de Suria. Erat enim mulier Syrophœniſſa.* Matthæus. 15: 22. Vocatur Chananæa & in Actis Apoſtolorum 2: 19. 15. in 21. 11. Phœnicia Syriacè dicitur פוניקי Phuniki. Proditum eſt quidem ab Auguſtino, jactaſſe ſe Pœnos origine Chananæos; quod & Stephanus ſignificare quoquomodo viſus eſt, his verbis: χνᾶ οὕτως ἡ Φοινίκη ἐκαλεῖτο. *Chna ad hunc modum Phœnice vocabatur.* A Græcis autem Sidonii Φοίνικες dicti ſunt: atque Ariſtoteles, aut certe au-

tor libri illius de Mirabilibus auditionibus, qui habetur apud eum, id nomen emanâsse dicit, quod hi primi maria navigantes, quocumque appellerent, omnes interimerent; unde & Perrebæorum linguâ *φοινίξαι trucidare* significat. Arias Montanus in lib. Chanaan cap. 8. de Sidone, Tyro, aliisque Phœniciis civitatibus mentionem faciens, *Regio* inquit, *omnis ab elegantia Græcis φοινίκη, Latinis Punica & Phœnicia dicta est: hoc enim incolarum lingua Phœnac* פנק *significat.* Super istâ denominatione legi possunt, Sanchoniatho, & Philo Byblius apud Eusebium lib. 1. Præparat. Euangel. cap. 7. (ubi etiam de veteribus appellationibus ῥαϐϐώθη καὶ Κολπίτης Rhabothe & Colpites Phœniciæ à Græcis attributis differitur) Stephanus crebro, ac Sillius Italicus lib. 1, &c.

Quod autem Phœnicibus Hispania subdita longo tempore fuerit, fatentur omnes, quotquot de rebus Hispanicis scripserunt: Strabo lib. 3, Mela lib. 3. cap.

cap. 6. Ferunt primo Gades à Phœnicibus occupatas, paulo poſt deſtructam Troiam: tum autem & Carthago extrui, & à colonis Tyriis habitari cœpit. Appianus Alexandrinus factum hoc tradit annis quinquaginta ante Trojanum excidium: Euſebius Cæſarienſis annis centum, & quadraginta tribus poſt: aliqui, ducentis nonaginta ſex. Virgilius, Ovidius, Sillius Italicus, & qui ipſos ſecuti ſunt, circa obſidionem ipſam Trojæ id ſcribunt factitatum. Joſephus verò lib. 1. contra Apionem ex Tyriis Annalibus Tyriorum regum ſuceſſionem ab Hiramo Pygmalionem uſque deducit, & quantum tempus unuſquiſque regnaverit, aſſignat: infertque, Carthaginem ab Eliſa Didone fundatam centum & quinquaginta tribus annis à conſummato templo Salomonis, qui annus centeſimus trigeſimus quartus eſt ante fundatam Romam. Joſephum, ut pote omnium certiſſimum, ſequitur Auguſtinus Torniellius in Annalibus Sacris anno

mundi 3166. Videndæ ſunt reliquæ opiniones apud Dionyſium Halicarnaſſæum lib. 1. Trogum Pompeium, ſive Iuſtinum lib. 18, Velleium Paterculum, Plinium lib. 14, cap. 4. Florum, Solinum, Caſſiodorum, Abbreviatorem Livii, Appianum, Servium, &c. Ex Carthagine autem Phœnices in Hiſpaniam ſeſe extendiſſe, & incolas ſubegiſſe, indicat Strabo lib. 16, his verbis: *Phœnices porrò harum ego rerum fuiſſe indices, dico; qui ante Homeri ætatem optima Africæ, & Hiſpaniæ tenuerunt, & domini eorum fuere locorum, donec eorum à Romanis eſt abolitum imperium.*

Porro de Hiſpania à Phœnicibus ſubacta teſtes legi poſſunt Trogus Pompeius lib. 44, ſive Iuſtin. Florus lib. 16. Polybius lib 2. cap. 2. Halicarnaſſæus. lib. 1. Gellius, lib. 17. cap. 22. Appianus in Iberic. ex Neotericis Cuſpinianus in Caſſiodorum, Nebriſſenſis in exhortat. ad lect. ex ſcriptoribus autem Hiſpanis, Vaſæus part 1. anno 452. Mariana lib. 1 cap. 15, & lib. 2. cap. 1.

Reſtat pars tertia , quam probare, ſupervacuum duxi. Nullus enim ignorat , quantam ſub ſervitutem ab Hiſpanis miſſæ ſint gentes Americanæ.

Hæc habui , quæ de quæſtione, difficultatibus , & tenebris implexa, differerem ex conjecturis, & veriſimili arguto argumento. Meliora docenti , nedum ſuccenſeam, magnam habebo gratiam.

FINIS.



